



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An falsus facta eo quod sit filius Abrahæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

§. 5. Calvinus inde concludit, nihil in Zachæo simulatum, nec tamen ideo salutem adscribi operibus sed adoptioni. Christus testimonium Zachæo reddens, nihil in eo fuisse simulatum pronuntiat, neque tamen salutis causam bonis operibus Zachæi adscribit: sed quia conversio illa certum erat diuine adoptionis pignus, merito inde colligit, domum illam salutis esse heredem, & hoc quoque verba sonant. Nam quia Zachæus vnus sit ex Abrahæ filiis, ratiocinatur salutem esse eius domum. Verum est opera præcedentia iustitiam, non esse causas meritorias salutis, fidem autem, & opera fidem sequentia effectus esse prædestinationis, sed tamen causas salutis æternæ. Ephes. 4. 22. 23. deponite veterem hominem. 2. Corinth. 7. 10. Coloss. 2. Ipse Pifcator analys. in Ephes. 1. 4. Ipse Calvinus lib. 3. instit. c. 14. §. 21. Id vero notandum est, quod ait Christum Zachæo testimonium dare, quod in eo nihil sit simulatum. Ex quo & illud consequitur sinceritatem Zachæi puram fuisse non peccatum natura mortale. Non enim vitata est simulatione sinceritas ideo pura.

VERSUS 9.

Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta: eò quod & ipse sit filius Abrahæ.

QUESTIO I.

An salus facta eo quod sit filius Abrahæ?

Quomodo filius Abrahæ.

§. 1. Filius Abrahæ vel secundum carnem, vel potius secundum fidem & charitatem, cur salus oblata sit, non est causa, quod sit filius Abrahæ secundum carnem, è multis filiis pauci saluati sunt, quod si dicamus ideo salutem illi factam, quod sit filius Abrahæ, secundum Spiritum, rectè interpretabimur, esse filium secundum promissionem. Nam promissionis effectus est salus, quemadmodum promissio prædestinationis: sic optimè sententia intelligitur: nam Græcè est etiam causalis particula καὶ ὅτι, & Syriacè ܘܡܝܢܘܡܝܘܬܘܢ, eo quod vel, propterea.

§. 2. Porro Erasmus sic: Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipsa sit filia Abrahæ. Nam αὐτὴ ἐστὶν γένους μαθουλινοῦ, ideo Erasmus nomen αὐτὴν ipse putat referri ad αὐτὴν. Verum admodum improprie dicitur αὐτὴν, domus, filius Abrahæ. Nec ad rem facit quod Christus Zachæum alloquitur. Nam ad secundum personam in tertia loqui alloquendo, cum alii circumstant, solemus. Sic Psal. 21. 26. 1. 6. 10.

V. 11. Adiciens προσθεῖς, Beda pergens habet, quod ambiguum est, nam ad professionem & sermonis continuationem referri potest.

Et versu 17. habetur. *Νεγοσιῶται* ἀπεπαύθησαν, quod est magna industria & cura negociari.

V. 16. Προσπεράσασθε adoperata est. Græcis pecunia ἐργασίη est, quæ elocata est, ἀργίη quæ domi est ociosa. ἐργασίη ad varia accommodantur vt ἐργασίη γὰρ πένχων ἀλάσθηται, sic ἐργασίη ἐστὶν ἡ βίβλος, cibum quaterere, seu operari. Sic ἐργασίη ἡ χρηματικὴ, pecunias conquirere.

V. 21. Καὶ συναχθεὶς ὅθεν ἡ δισκοπία σου & congregas vbi non sparsisti, hoc in quibusdam additum est, verum ex Matthæo translatum.

V. 26. Et abundabit, plerique omittunt voces, & abundantabit: ita Syrus, & plerique Græci: est enim ex Matthæo huc translatum.

V. 37. Pro discipulorum quædam exemplaria habent, *discipulum*. corrigenda sine dubio.

VERSUS 41.

Et ut appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens.

QUESTIO I.

Cur fleuit?

§. 1. Mœuent impiè quæstionem hæretici, & sacrilegè respondent, noluisse Deum eorum salutem, de quorum exitio lachrymas fudit. Si enim saluos voluit, cur subsidia efficacia non dedit? cur vt gratiam oblatam recipere non adiuuit? Hæc Calu. Beza, Pifcator, Broeckerus, ceteri rigidiores Gommoristæ & Borboritæ. Nolle omnibus beneuolle, dicit Pifcator Sect. 8. in notis contra Vorstium. Non teneri etiam omnibus beneuolle, ideo voluntatis in antecedentem, & consequentem, in absolutam & conditionatam repudiat distinctionem.

§. 2. Calvinus humanos induisse affectus, Breuius & Clarius Matth. 23. Pifcator ait: Christum voluisse Iudæos congregare humana voluntate. Quare necessè est, vt humanam voluntatem à diuinâ seingant. Videatur Vorstius Sect. 2. contra Pifcatorum.

§. 3. Primo considerandum est tempus, quo populi Isralitici clades, luctu lachrymisque profectus est. Tempus Nempe cum summo ipse in honore esset & pignora prædicationis magni plausus, & fautoris haberet, ne si tempore peccati seculi aduersa prædiceret, id mollitudini animi, vel indignationi tribueretur.

§. 4. Secundo voluit tam diuina quam humana voluntate salutem omnium: humana voluntate doluit, de eorum contumacia, qua salutem rejiciebant. Diuina voluntate idem voluit: quia non est eius voluntas vt pereat impius, sed penitentiam agat, ac viuat: parcere Deus vult, sed penitentibus voluntas non parcendi non est, nisi præuisa in sceleribus perseverantia, mundo Noe temporibus parcere voluit, sed contumaciter rebellibus, cataclysmum inducere, antecedente voluntate seruare, consequente perdere. Prima igitur voluntas est seruandi, altera veto perdendi: illa secundaria, & non nisi præuisi peccati respectu, quamuis æterna, tamen conditionata, si peccent homines nec penitentiam agant. Impius igitur est dicere Deum non desiderare omnium salutem. Mihi contra Calvinianos visum est vti testimonio collegialium ipsorum: Ita enim Vorstius Sect. 8. *Accedit deinde ratio naturalis, partim ex ipsius Dei naturâ, partim ex nonnullâ vera religionis & totius iustitiæ proprietatibus extracta. Deum enim, cum per naturam optimus, ac summè beneficus sit, non potest non omnibus nobis, ex antecedente voluntate seu primariâ intentione sua, optime velle: quippe quos ipse ad imaginem suam, eoque ad salutem ab initio creauit, &c. Idemque cum iustissimus sit, non potest cuiquam, nisi consequenter male velle: hoc est, nemini certam pœnam decernere, cuius non aliquam culpam cerèd prauiderit. Denique cum sapientissimus sit, non solet premium, aut mercedem, cuiquam constituere, cuius obedientia non aliquatenus antecesserit. Religionis vero rationis iustitiæ ratio, ita comparata est, vt naturalem arbitrij libertatem in hominibus exigat, tum in obedientia præstantiâ, tum maxime in peccando. eoque præcisam illam ac fatalem necessitatem, quæ à primario, & omnes causas antegrediens, DEI de vtro pendeat simpliciter hinc excludit. Alioqui nec virtuti, nec vitio, eoque nec præmiis nec pœnis, (iustis quidem & rationabilibus,) immò nec hortationibus, nec exprobrationibus, nec laudationibus, nec obiurgationibus, &c. vilius coram Deo locus foret. Ex quo sequitur aliam esse præcedentiam, seu primariam Dei voluntatem erga homines, quæ liberis ipsorum actus vnuerfos antecedit: aliam consequentiam ac quasi secundariam.*